



**H**einricus ex illustri familia comitum de Holstein prognatus, adeò rerum bellicarum peritia & uirtutum excellētia passim apud Germanos & finitos principes excelluit, ut Ferrei cognomen impetrarit. Is primò fese in Daniam contulit, eius regis castra secutus res sibi commissas fœliciter expediuit. Postea ad Sueones conuersus, pari dexteritate exercitus duxit, atq; uictoria cōtra hostes impetrata, regi charissimus fuit. Itaq; rex ei aliquot arces & oppida, inter quæ & Calmeren fuit, dono dedit. Cum autem eo tempore exitiale bellum inter Gallos & Anglos oriret, Eduardus Angliae rex Heinricum magnis promissis ad se pellexit, atq; sui exercitus duce constituit. Itaq; Heinricus magna prudentia & fortitudine omnia peregit, atq; Anglis insignem uictoriam acquisiuit. nam prælio cōmesso Ioannes rex Boemie, Adolphus dux Lotharingie, & Ludouicus comes Flandriæ trucidati sunt. Rex etiā Gallię Philippus à Heinrico captus, atq; ad Eduardū perductus fuit. Incidit prælium illud in annum 1346. Itaq; An glus hunc Heinricum in magno pretio habuit, atq; eum cum posteritate annuo stipendio exornauit.